



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

66. Inter diuturnas &c. Concessio Indulgentiarum Christifidelibus Italiæ &
Insularum adjacentium, Divinam opem pro præservatione, seu liberatione
à grassante in præsens epidemicâ Animalium lue ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

mcationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Decretum à prædicta Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quodd scilicet de cultu immemorabili eidem Beato Gregorio PP. X. exhibito, seu de casu excepto à Decretis prædicti Urbani Prædecessoris constet, Apostolicâ auctoritate tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salvâ tamen semper in præmissis auctoritate, memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem presentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; Volumus autem, ut ipsarum presentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus files in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Anulo Piscatoris die XXI. Septembris MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno XIII.

F. Oliverius.

Decretum
irritans cum
consuetis
clausulis.

LXVI.

C O N C E S S I O

Indulgentiarum Christianidelibus Italiae, & Insularum adjacentium, Divinam opem pro præservatione, seu liberatione à grassante in præsens epidemica Animalium luc implorantibus.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

I nter diuturnas, ac sanè gravissimas, quibus ab eo propemodum die, quo humilitatem nostram ad Supremi Apostolatus fastigium evocavit Altissimus, undequaque premimur, Christianæ Reipublicæ calamitates, eâ novissimè, quâ Deus visitare Nos voluit, ærumnâ, dirâ scilicet Animalium, ac præsertim Bomum epidemica lue, paternæ nostræ Charitatis studio vehementer commoti, ad Supremum misericordiarum Patrem, illum scilicet, qui laboribus hominum, etiam de mutis Animalibus solatia subrogavit, toto corde clamavimus, & adhuc elatâ magis voce clamare non cessamus, ut sine quibus non alitur humana conditio, nostris faciat usibus non perire, Indictis idcirco nuperimè publicis precibus, Christianidelibus in Almâ Urbe nostrâ, quam manus Domini tetigit, ac etiamnum graviter tangit, degentes ad iram Dei, quæ peccatis hominum assidue læcessitur, per salutaris pœnitentiæ lamenta, ac jejunia, & eleemosynas, sin-

ceratque, & unanimes obsecrationes, atque orationes placandam, spiritualium gratiarum, quarum dispensationem fidei nostræ commisit Divina dignatio, largitione excitare studuimus. Id ipsum verò nunc, ut & reliqui etiam Christianidelibus Italiae universæ, & Insularum illi adjacentium, quippe qui ejusmodi flagelli aut metu anguntur, aut sensu afflicuntur, scissis per veram pœnitentiam cordibus, ac auctis per jejuniorum labores, & eleemosynarum largitiones viribus orationis facere conitantur, eos omnes, & singulos paternè adhortandos, & monendos, eorumque pietatem erogatis itidem Cœlestium gratiarum thesauris incitandam, atque fovendam esse arbitramur, Itaque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatibus, & Ordinariis Civitatum, & Diocesium, Oppidorum, Terrarum, & Locorum universæ Italiae, & Insularum ei adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in Spiritualibus Generalibus per presentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum presentium literarum transumptis, seu exempla, etiam impressa ad eos pervenerint, Processiones in suis respectivè Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis instituant, publicasque preces pro illorum à flagello prædicto præservatione, ac liberatione respectivè indicant; Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrà Communione reffectis, qui Processionibus hujusmodi respectivè interfuerint, vel Ecclesiam, à quâ, & ad quam aliqua Processio hujusmodi fiet, eodem vel aliquo ex septem subsequentibus diebus devotè visitaverint ibique Divinum auxilium (ut præmittitur) imploraverint, ac insuper peracto unius diei jejunio Ecclesiastico, aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, pauperibus erogaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem per unumquemque Christianidalem semel tantum lucrificandam, misericorditer in Domino concedimus præterea eisdem Christianidelibus, qui recitationi Litaniarum Omnium Sanctorum, cum Collectis, & precibus consuetis in aliquâ ex Ecclesiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum prædictorum per memoratos Locorum Ordinarios respectivè designandis mense à die publicationis earundem presentium computando durante dumtaxat, itidem devotè interfuerint, ibique, ut supra dictum est, oraverint, quocumque die interim id egerint decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu per eos quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus, nec non ut omnes, & singula Indulgentiæ, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiæ relaxationes prædictæ Animabus fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, concedimus pariter, & indulgemus. Cæterum Regularibus utriusque sexus in perpetuâ clausurâ viventibus, nec non aliis Christianidelibus quibuscumque in carcere existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu aliquo quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante presentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit, quæ ipsi Pœnitentes adimplere poterunt, similiter indulgemus. Volumus autem, ut earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate consti-

tutæ munitis, eadem prout fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xiv. Octobris MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimotertio, Indictione sexta, die vero decima quarta Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Clementis Divina Providentia Pape XI. anno ejus decimotertio, supradictæ literæ Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Cancellariæ Apostolicæ, in Monte Citorio, in Acie Campi Flora, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Andream Græcum Apost. Curf.

Laurentius Christallinus Pro-Mag. Curf.

LXVII.

CONSTITUTIO

Pro feliciori regimine Congregationis Observantiæ Lombardiæ nuncupat. Ordinis Eremitarum S. Augustini.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Injuncti Nobis divinitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut prospero Christianissimorum Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statui consulere, & ea, quæ Regulari Disciplina impedimentum adferre noscuntur, quantum cum Domino possumus à medio tollere studeamus.

Narrat abusus, & relationes in Congregationem introductas.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Congregationis Observantiæ Lombardiæ nuncupat. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quod eadem Congregatio, cui dudum ob Regularem Observantiam tunc in ea vigentem nonnulla privilegia à Sede Apostolica concessa fuerant, adeo à primævo ejus instituto excidit, ut ei Novitiorum vestitio suspensa fuerit; Una verò ex præcipuis causis, quæ relaxationi in dicta Congregatione fomentum præbuit est perpetuitas gubernii, & despotici domini, quod quinquaginta ab hinc annis in ea ad favorem Vicariorum Generalium absolutorum introductum fuit, quippe qui, cum nullum Superiorem realiter recognoscant, omnia in eadem Congregatione ad eorum libitum disponunt, eo quia ii, qui Vicarii Generalis munere functi sunt, remanent perpetui Definitorum cum voto in omnibus Capitulis, Diets, & Congressibus ordinariis, ac extraordinariis ejusdem Congregationis, & præsertim Definitorii Generalis, tamen ipsi locus juxta ejusdem Ordinis Constitutiones 3. par. cap. 9. §. 7. nu. 5., dictæque Congregationis Definitiones antiquas capit. 30. num. 37., quarum vigore Definitorium Præsidente scilicet, Vicariis Generalibus actuali, & proximè absoluto, quatuor Definitoribus, ac totidem Visitatoribus componitur, minimè competat, & exinde oritur, quod cum ad idem Definitorium Priorum, aliorumque Officialium electio spectet, Vicarii Generales absoluti in omnibus electionibus perpetuò se ingerunt; Nec Definitoratus gradu perpetuo contenti, in Vicegerentes proprii districtus, seu Provinciæ cum præcedenti supra Superiores locales, imo etiam supra ipsos Definidores, & Visitatores,

qui, ad formam earundem Constitutionum, & Definitionum, omnibus aliis, præterquam Vicariis Generalibus, actuali, nempe, & immediatè absoluto, præcedere debent, constitui, & deputari curant: Ideoque Vicegerentes, ide est, Provinciales perpetui eorum districtus, seu Provinciæ fiunt, non obstantè quadam Constitutione à fel. rec. Martino Papa V. Prædecessore nostro, quæ incipit: *Pro cunctorum &c.* desuper edita per quam prohibetur expressè, ne Provinciales completo triennio eorum Officii in eo continuare valeant.

§. 2. Porro plurima numerantur inconvenientia, quæ ex præmissis oriri solent, quorum primum est dispendium Conventuum, qui ultra ordinarias collectas, quas pro manutenzione Vicarii Generalis perfolvunt, nedum illas prædictis Vicegerentibus, verum etiam expensas itinerum occasione eorum accessus ad Capitula dictæ Congregationis, contribuere teneantur. Præterea memorati Conventus aliis sumptibus, & dispendiis gravati reperiuntur; nam Priores, aliique Officialis, qui ærarium administrant, benevolentiam illorum, à quibus unice in spem adducuntur se gratis, & beneficiis affici, ita captare student, ut Religiosorum indigentis consulerent, ac officinas, eorumque cellas rebus ad id necessariis instruere, nec non in Conventibus ejusdem Congregationis Religiosorum numerum valde minorem eo, qui ali possit, non sine Cultus Divini, ac Ecclesiarum servitii detrimento, retinere negligant. Alterum verò inconveniens existit, quod omnes Religiosi ab arbitrio, & voluntate ipsorum Vicariorum Generalium absolutorum unice dependent: Ita ut Prioribus, aliisque Officialibus solus titulus remaneat, ac mandata ipsius Vicarii Generalis, ut plurimum illis Vicegerentis, non sine maximo scandalo, postponuntur; nec Superiores Locales illis sese opponere, nec Religiosi contra hujusmodi abusus reclamare audent, quia omnes sperant eosdem Vicegerentes sibi gratos fore, unde gratiam apud eos querere, illorumque desiderii obsecundare procurant.

Alia inconvenientia, & corruptelas narrat.

Alium abusum explicat.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, perpetuitas Superiorum in guberniis hujusmodi, ita Regulari Observantiæ obnoxia, in Capitulo Generali memoratæ Congregationis in hac Almâ Urbe nostrâ anno 1664. celebrato, in quo nonnullæ Definitiones factæ, ac postmodum à rec. mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædecessore nostro per quosdam suas desuper in simili formâ Brevis die 18. Julii ejusdem anni expeditas literas, confirmatæ fuerunt, introducta fuerit, experientia verò plurium annorum compertum sit illam eidem Congregationi magnum præjudicium attulisse, ac propterea ipsi Exponentes, quod abusus hujusmodi de medio tollantur, Regularisque Observantia in ea reflouescat, ejusmodi perpetuitatem per Nos aboleri, nec non prerogativas earundem Vicariorum Generalium absolutorum ad terminos, in quibus ante prædictum Capitulum Generale reperiebantur, per Nos reduci plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Infantia Pontifici facta pro abolitione perpetuitatis Superiorum.

§. 4. Nos igitur Regularem Observantiam in eadem Congregatione, sublatis impedimentis, promovere cupientes, ac ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad

Formam præscribit de cetero in ejusdem Congregationis gubernio observandam.

effec-